



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Priori Medicini Cluniacensis ordinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

earum immunitate perpetuò gaudeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere &c. usque incursum. Datum Laterani 1 v. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

**CAPITVLO ECCLESIE**  
*sancti Caprasij Agennensis.*

Epist. 74.  
Supra eodem.

**C**um esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra presentia constitutus, Stephanus Canonicus & procurator vester adversus eum proposuit questionem quòd ab Ecclesia vestra albergarias & procuraciones indebitas exigebat. Quia igitur &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque incursum.* Datum Laterani 1 v. Non. Februarij, pontificatus nostri anno duodecimo.

**CAPITVLO ECCLESIE**  
*de Manso.*

Epist. 175.  
: a per eodem.

**C**um esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra presentia constitutus, adversus eum venerabilis frater noster Agennensis Episcopus procurator vester proposuit questionem quòd à vobis albergarias & procuraciones indebitas exigebat. Quia igitur ipse illas, sicut à bonæ memoriæ magistro Milone Notario nostro apostolicæ sedis Legato in mandatis dinoscitur recepisse, propria liberalitate remisit, nos remissionem hujusmodi approbantes, auctoritate presentium inhibemus ne quis vos super albergariis & procuracionibus hujusmodi molestare presumat, sed vos pariter & successores vestri earum immunitate perpetuò gaudeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Non. Februarij, anno duodecimo.

**PRIORI MEDICINI**  
*Cluniacensis ordinis.*

Epist. 176.  
Super eodem.

**C**um esset dilectus filius nobilis vir R. Comes Tolosanus in nostra presentia constitutus, adversus eum P. monachus procurator tuus proposuit questionem quòd à te albergarias & procuraciones indebitas exigebat. Quia igitur ipse illas &c. *in eundem ferè modum ut in alia usque incursum.* Datum Laterani Non. Februarij, anno duodecimo.



**EPISCOPO ET S. DE AVNES**  
*Archidiacono Oscensibus, & Decano*  
*Tirasonensi.*

**C**um olim tam contra illegitimum processum electionis venerabilis fratris nostri Pampilonensis Episcopi quam etiam contra personam ipsius, qui de simoniaca pravitate, dilapidatione, lapsu carnis, & quibusdam aliis excessibus culpabilis dicebatur, multa fuissent nostris auribus intimata, venerabili fratri nostro Aquis Episcopo & dilectis filiis Abbati de Oliva Pampilonensis diocesis & R. de Luco Archidiacono Baionensi dedimus in preceptis ut ad Pampilonensem Ecclesiam accedentes, tam super premissis quam aliis proponendis sive contra Episcopum sive pro defensione ipsius inquirerent diligentius veritatem, & quæ invenirent fideliter redigentes in scriptis, ad nos sub sigillis propriis destinarent. Qui juxta mandatum nostrum veritatem super propositis inquirentes, depositiones ipsorum per quos inquisitio facta fuit ad nostram transmiserunt presentiam consignatas. Nuper autem Hel. procurator dicti Episcopi & S. Pampilonensis Canonico propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, procurator ipse duodecim ex testibus introductis, scilicet G. de Leotz & Roscidæ vallis Priores, L. de Tafalia & S. de Lioz Archidiaconos, P. de Navaz Cantorem, & A. de Ponte, P. de Leoz, P. de Andrequiam, I. Lupi, I. Martini, S. Petri, & Garfiam Canonicos Pampilonenses, proposuit repellendos, utpote conspiratores & criminosos ac inimicos Episcopi capitales. quod se tempore opportuno asseruit probaturum, adjungens Episcopum ipsum super premissis omnibus præmonitum non fuisse. Verum parte altera respondente quòd per testes alios, in quos procurator ipse nihil objecerat, quæ contra Episcopum proposita fuerant probabantur, depositiones easdem publicari fecimus & inspicere diligenter. Sed idem S. postmodum requisitus à nobis an illorum depositionibus quibus nihil opponebatur velle esse contentus, respondit malle decisionem negotij prorogari quam depositionibus illorum non uti in quos prædicta objecerat procurator, per quas utique quæ fuerant objecta Episcopo evidentius asserere esse probata. Nos igitur de utriusque partis assensu idem negotium sub hac forma vobis duximus committendum, attestaciones easdem sub bulla nostra vobis transmittentes inclusas, ut nisi